Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift



caritatis et bonorum operum sedula deuotione reficiuntur profecto super
cilium scribarum et phariseorum iudeorum inuidiam qua degentium
salute torquentur insinuat quibus ipse loquitur. Amen dico uobis.
quia publicani et meretrices precedunt uos in regno dei.
Hoc audito ihesus ait illis. Non necesse habent sani medicum sed
qui male habent. Non ueni enim uocare iustos sed peccatores.
Suggillat scribas et phariseos qui iustos se putantes peccatorum
consortia declinabant. se ipsum medicum dicit. qui ~~merito~~ miro medican
di genere uulneratus est propter iniquitates nostras et liuore eius
sanati sumus. Sanos autem et iustos appellat eos qui ignorantes dei
iusticiam et suam uolentes constituere. iusticie dei non sunt subiecti.
qui ex lege presumentes euangelii gratiam non querunt. Porro male ha
bentes peccatores uocat eos qui sue fragilitatis conscientia deuic
ti. nec per legem se iustificari posse uidentes xpi gratie penitendo
colla submittunt. Et erant discipuli iohannis et
pharisei ieiunantes. et ueniunt et dicunt illi. Quare discipuli
iohannis et phariseorum ieiunant. tui autem discipuli non ieiunant.
Alii referunt euangeliste ipsos phariseos ac discipulos iohannis hac domino
questione pulsasse. hic uero ita sonare uidetur euangelicus sermo
quasi alii aliqui quos huius rei cura mouisset hanc ei questio
nem intulerunt. Vnde colligendum a pluribus hanc domino ob
iectam esse questionem. et a pharisei eo is scilicet et a discipulis iohannis
uel alius quibus libet quos hoc mouebat. quare discipuli iohannis et
pharisei ieiunarent. discipuli autem saluatoris non ieiunarent.
Mystico autem sensu potest ita exponi quod discipuli iohannis et pharisei
ieiunant. xpi autem non ieiunant. quia omnis qui uel de operibus legis
sine fine gloriatur. uel quod est grauius traditiones sequitur homi
num. uel certe ipsum etiam xpi preconium aure tantum corporis non autem
et fide cordis percipit. spiritalibus abstinens bonis ieiuno corde